







20

21⁹

22⁹

23

24



1687.

20^{a, b, c} Thomarius, Christianus: De abigenti. 3 Sumpl

1687, 1731 - 1739.

21^{a, b, c} Thomarius, Christianus: De jure circa summum

et somnia . . . 3 Sumpl. 1715, 1723 - 1731.

22^{a, b, c} Thomarius, Christianus: De pendis oblatio. 3 Sumpl.

1687, 1715 - 1730

23. Weidlingius, Christianus: De foemina regnum rege mi-

norum a Divinis trante.

24. Westphal, Jacobus Christianus: De curioso novitatis

Studio







960



1687, 24

11

A. Ω.

De

CURIOSO NOVITATIS STUDIO,

Approbante Philosophorum Ordine,

in

ACADEMIA PATRIA,

SUB PRÆSIDIO

M. JOACHIMI CHRISTIANI

Westphal /

Neo-Ruppinenfis Marchici,

cum

Curiosis Veritatis scrutatoribus

placide differet

AUTOR

HENRICUS Pipping / Lipsiensis,

Phil. & B. A. Baccal.

Ad d. XV. Junii, Anni M. DC. LXXXVII.

In Collegio Principum Majori.

LIPSIÆ,

Typis CHRISTIANI GÖZI.



P 549

NOVITATIS
CURIOSO

STUDIO

Approbante Philosophorum Ordine

ACADEMIA PATRIA
SUA RESIDIO

NICHOLAI CHRISTIANI

Neo-Ruppinensis Martijci

Christus Natus est


in Bethlehem

THEOPHILUS THEOPHILUS

Phil. & A. B. C.

in Anno Domini MDCCLXXVII

in Collegio Principum Majori



Typis Christiani Görl



I. N. J.

L. B. S.



Pecimen aliquod quorumcumque profectuum Academicorum cum à me exposcerent ii, quorum vel solis nutibus repugnare religio mihi est, diu multumque cogitavi, undenam potissimum materiam, quæ viribus ingenioli nondum confirmatis responderet, depromerem. Equidem seriem cum disciplinarum, tum vitæ etiam communis oculo paulisper attentiori perlustranti satis multa sese offerebant, quæ prolixior mereri videbantur considerationem, verum plurima intelligebam sic comparata esse, ut hominis, quæ ego sum, & ætatem & iudicium transcenderent longissime. Tandem verò animadvertēbam, nihil ferme inter homines esse frequentius quàm istud, quod Dissertationis Titulus exhibet, **CURIOSUM NOVITATIS STUDIUM.** *Ad curiosum enim reservati sumus seculum, (liceat uti gravibus verbis Magnif. Dn. Stryckii, quæ habet in Præfat. ad Dissertationem Juridicā de Curiositate jure civili vel approbatâ vel improbatâ, An. 1677. editam,) in quo ea, quæ Curiositatem non redolent, aut curantur parùm, aut planè negliguntur, flocci habentur vulgaria, nec cogitatione quædam reputantur digna illa, quæ omnibus*

A 2

nota

nota sunt. Vix hodie quicquam gratum, cui non aliqua invigilavit curiositas, vix quicquam diligitur, quod non à curioso profectum ingenio. Curiositas cuncta aestimat, atq; sua rebus destinat pretia, nec pretiosas modò summasq; eadem scrutatur res, & jam Principum sese miscet consiliis, jam ipsam summi Numinis scientiam introspicere audet. Sed viliora quoq; non negligit, ipsasq; & herbas & ligna & lapides considerat, imò nihil planè relinquit intactum. Allexit animum rei hujus singularis, quam à se diffundit, jucunditas, ut illam Horis quibusdam subsecivis ad paulò accuratiorem judicii lancem expenderim. Prodeunt itaq; hæc qualesquales pagellæ, quas benignæ Benigni Lectoris censuræ nunc submitto, eâ tamen conditione modestè adjectâ, ut ne ipse in perlustrandis iis nimium velit esse curiosus, & plura adeò à me postulare, quam præstare quidem in præsentia potui. Ut autem mentem nostram eò distinctiùs percipiat, brevissimis, & ὡς ἐν τύπῳ, quid expectare in progressu Lectionis possit, exponemus. In tria nimirum Capita hæc nostra dispescitur Tractatio, quorum *primum* ea, quæ ad plenioram ipsius Thematis perceptionem facere possunt, ostendit; *secundum* variis id exemplis probat & illustrat; *tertium* deniq; in causas ejus genuinas in-

qvirit. Faxit Deus

F E L I C I T E R!

CAP. I.

CAPUT I.

THEMA EXPONENS.

§. I.

IN solidam itaque propositi nostri Thematis cognitionem penetraturus, ante omnia debet esse sollicitus de iis, quæ in ipso statim limine veniunt observanda, partim circa Vocabula Disputationis Titulum constituentia, utpote quæ, uti alibi, ita & hic, secundum elegans nonneminis iudicium, *sunt vestigia, ubi rerum cubicula*; partim circa rem ipsam, cujus ulteriorem deinde deductionem instituemus.

§. II.

Primo sese loco exhibet vocabulum *Curiosus*, quod, si ejus spectes Etymologiam, à Curâ descendit, unde autem hoc ortum trahat, de eo non una Philologorum est opinio, alii enim derivatum volunt à Substantivo Cor, & Participio Urens, quasi cura sit cor urens: alii à Græco *Κηραίνω*, animo voluto, sollicitè & anxie cogito: alii denique à *Κόρη*, quod est satietas, cui postremæ deductioni non dubitamus nostrum etiam adjicere calculum, præsertim, cum eandem fuisse Summi Viri, *Josephi Scaligeri*, perhibeat *Becmannus de Originib. Lat. Ling. p. 287.* ac præterea quoque à vocis hujus & sono & sensu non adeò abeat. Quod autem ad ejus attinget Homonymiam, *ἐκ τῶν μέσων* est curiosi vocabulum, & in utramque partem, bonam æquè ac malam, ab Autoribus passim usurpatur. In bonâ significatione adhibet *Cicero Lib. I. Tuscul.* qui *Chrysippum* laudat, quod *per multa colligat, prout sit in omni Historiâ curiosus*, h. e. diligens atque omnia accuratè indagans. In malam verò partem accipitur, quando (exponente *Buchnero in Fabro interpolato* sub voce *curiosus*) denotat hominem, qui *vanâ quâdam cupiditate inquirat omnia, quæ scire sua nihil interest*, & tunc Græcorum vocibus *πολυπράγμων* it. *πολλοπραγμοσύνη* & *ἄεργία*) & Germanorum *Burwischig*/respondet. Quo sensu *Comicus* accipit in *Sticho*:

Curiosus nemo est, quin sit malevolus.

A 2

§. III. No.

§. III.

Novitatis vocabulum natales debet voci *Novus*, & hæc verbo *Novo*, cujus compositum est *innovo*. Conferri hîc possunt, qui hac de re agunt ex professo, Lexicographi, & inter eos *Matthias Martinus* in *Lexico suo Philologico*, qui insuper, (quod obiter addimus,) discrimen inter novum & recens evolvit, novum esse docens, quod nunc modò accidit, recens, quod nuper. Dupliciter autem potissimum hoc sumi solet vocabulum, ita quidem, ut interdum in sensu abstractivo rei modò orientis adjunctum, interdum concretivè rem ipsam novam denotet, quemadmodum contra res antiqva sæpe *Antiquitas* dicitur; quæ posterior acceptio præ illâ alterâ h.l. obtinet.

§. IV.

De *Studii* voce dicere nihil attinet, nisi fortè (quod tamen vel nemine monente clarum est,) istud adhuc meretur observari, per eam minimè h.l. specialem illam operam, quæ humaniorum literarum tractationi impenditur, sed in genere animi assiduam ad aliquam rem cum voluptate quâdam adhibitam occupationem, intelligi.

§. V.

Sed de cortice satis: jam nucleum attingimus, h. e. Tractationem aggredimur realem, quæ juxta bonæ methodi leges, Definitione & Divisione absolvitur.

§. VI.

Definitio talis esse potest: Curiosum novitatis studium est actus animæ rationalis, quem circa res novas cupidâ vel speculatione vel appetitione exercet.

§. VII.

Genus in allatâ Definitione constituimus Actum, potentiam, uti notum est, contradistinctum, cum ille in exercitio, hæc extra illud consistere soleat. *Differentia* desumpta est (a) à *Subjecto agente*, quod dicimus esse animam, & quidem rationalem, quæ interdum sola agit, quoad actus internos, ita, ut nemo, quando
aut-

aut quomodo agat, possit perspicere: interdum autem simul quoad præviam Objecti præsentationem & concomitantem informationem per sensus, quos vocant, externos, quibus subinde in ipsa operatione accedit loco motiva, huncce suum actum luculenter prodit. (β) à formâ, quæ in eo consistit, ut anima circa suum Objectum sit occupata. Duplici autem ratione illud posse fieri exinde liquet, quod objecta, circa quæ versatur, in duplici etiam sunt differentiâ: vel enim merè sunt γνωστὰ, vel simul περὶτὰ. Merè γνωστὰ si sint, speculando; si περὶτὰ, appetendo etiam actus suos exercet. (γ) ab Objecto, quod sunt res novæ: hæ autem vel ὄντως vel φαινομένως tales deprehenduntur. Iftas vocamus, quæ antea nondum extiterunt, sed nunc demum existere incipiunt; Hæ nobis sunt, quæ quidem jam antea extiterunt, nihilo tamen secius tanquam non satis frequentatæ vel planè ignoratæ per modum rerum novarum assumuntur. Finis mentionem de industriâ omisimus, utpote qui Definitiones rerum indifferentium, qualis est curiosum novitatis studium modò descriptum, difficulter ingreditur, cum is, postquam ad bonum vel malum significatum res determinatæ sunt, alius atque alius esse soleat, id quod clarius evadet ex inferiùs afferendis.

§. VIII.

Dividitur autem in genere in *licitum & illicitum*. *Illicitum* est, quod instituitur malâ intentione, circa Objectum inconveniens, modò planè incongru.ò *Licitum* contra, quod bona intentione circa Objectum conveniens, modò etiam conveniente, suscipitur.

§. IX.

Utrumque subdividitur in *Eximium & Vulgare*. *Eximii* nomine complectimur illud, quod cum in Disciplinis tum in rebus ad disciplinas quocunqve modo spectantibus exercetur. *Disciplinæ* autem vulgò distingvi solent in *Instrumentales & Principales*. Ad *Instrumentales* refertur *Grammatica, Rhetorica, Poëtica, Logica*. Unde totuplex quoque novitatis Studium, *Grammaticum* scil. *Rhetoricum, Poëticum & Logicum*. *Principales* dividuntur in *Inferiorem & Superiores*. *Inferior* est *Philosophia*, & quidem cum *Theoretica*, tum *Practica*. *Theoretica* complectitur

tur

tur Metaphysicam, Physicam, & Mathematicam, unde & studium novitatis vel *Metaphysicum* est, vel *Physicum*, vel *Mathematicum*. Practica continet Ethicam & Politicam; hinc etiam studium novitatis vel *Ethicum* est vel *Politicum*. Superiores sunt Facultates illæ κατ' ἐξοχήν sic appellatæ, Theologia scil. Jurisprudentia, & Medicina. Unde triplex etiam novitatis studium resultat, *Theologicum* nempe, *Juridicum* & *Medicum*.

§. X.

Vulgare appellamus istud, quod in vulgo, novarum rerum cupidissimo, tota die deprehenditur.

§. XI.

Atque hæc generalis est οἰκονομία: transimus jam ad specialem ejus deductionem, h. e. ad recensionem Exemplorum, quibus probare annitimur, varia hæc curiositatis genera vel antehac data esse, vel nostro etiam tempore dari. Ubi tamen hoc in antecessum etiam atque etiam monendum putamus, nos non adeo fuisse sollicitos de Exemplorum vel copia vel etiam selectu, sed ea promiscuè, prout se nobis obtulerunt, præcipuè, cum id in nonnullis efflagitaverit ipsa necessitas, assumisse, sive illa attingant integram aliquam disciplinam, sive spectent ad aliquam ejus partem, sive etiam ad disciplinæ hujus vel illius novam methodum &c. Quibus præmissis succedit

CAPUT II.

EXEMPLA CURIOSI NOVITATIS STUDII EXHIBENS.

§. I.

Grammaticum novitatis studium fuit, quod supra primo loco numeravimus. Hujus Exemplum deprehendere licet in Job. Rhenio, qui Grammaticam novam (sic enim ipse in *Dedicatione Grammaticæ Latinæ Lips. Anno 1611.* primum editæ vocat,) scripsit, postquam quotidiano docendi usu, quæ ipsius verba sunt, non leves neque paucos defectus & errores in vulgatis præceptis è superiorum temporum

porū barbarie reliquos animadvertent, & ut omnis temeritatis in hoc suscepto negotio suspensionem à se amoliretur, in peculiari quādam Dissertatione omnium suarum mutationum & correctionum causas exposuit. Benè verò an secus, dicere nostrum non est, quāquam infelicio-
re successu, quā fortè speraverat, ipsum id suscepisse negotiū non diffitemur. Anno enim 1616. septem Centurias principuarum falsitatum, incommoditatum, confusionum & defectuum ex libris ejus Grammaticis excerptas Wittebergæ eruditi orbis censuræ subje-
cit Erasmus Schmidius, Græc. Lingvæ & Mathem. Professor, quæ res in publicas tandem in vectivas & concertationes abiit, quas sub Titulo: *Historia Belli Grammaticalis Rheniani cum Examine Centuriarum Erasmi Schmidii*, ipse Rhenius Anno 1617. descripsit, & in publicam salivam emisit. Huc etiam referri possunt, qui nimio novitatis pruritu, non contenti puritate lingvæ Germanicæ, multa nova & exotica vocabula ei immiscent, sicquæ limpida illum fontem miris modis turbidum reddunt, contra quos jam olim disputavit Opitius in *Aristarcho suo, seu Dissertatione de contentu lingvæ Teutonice*, & post eum Georgius Neumarcus in *Neusprossenden deutschen Palm-Baum* cap. III. p. 135. seqv. Weisus in *Tractatu, quem vocat: Der grünen Jugend Nothwendige Gedancken* / Cap. I. v. 1. Quid in lingvæ Germanicæ Orthographia, quid in vocabulorum exoticorum, etiamsi receptissimorum, redditione vernaculâ molitus fuerit non sine ingenti labore Zestus cum assiduis, ignotum est iis tantum, qui de suâ lingvâ maternâ parum sunt solliciti. Recentissimè Job. Ludovicus Praschius novitatem aliquam Grammaticam orbi erudito offert, dum lingvæ Latinæ natales ex Germanicâ lingvâ derivare studet, quâ de re integram Dissertationem superiore anno edidit. Porro, quod methodum, Grammaticam & prima literarum Elementa docendi, attinet, planè novam invenit, occasione quidem ex antiquo informandi modo petita, Erhardus Weigelius, Mathematicus Jenensis, quam non modò publicis typis Anno 1684. & 1685, exposuit, sed & hodiè, quod famâ accepimus, cupidis Spectatoribus ad oculum ostendit. Alio adhuc compendio, vel, si mavis, dispendio, usus ante paucos annos dicitur quidam in Thuringiâ Rector, qui non nisi per continuam praxin pueros docere voluit Grammaticam, in primis ve-

B

rò ver-

rò verborum Conjugationes. Ita v.g. cum conjugandum esset verbum lingo, apposuit pultem, quam lingendo tyrones sic processere: Incipiens pronunciavit primam personam lingo, secundus quasi vit ex primo: lingis? tum tertius respondit: ille lingit. Post pultem ori admoventes ad unum omnes clamant: lingimus, quos Praeceptor adstans interrogavit: lingitis? &c. Sed cum aliquando verbum Navigo flectendum esset, cymbam intravit cum suis, verum paulò infelicius: postquam enim ad primam personam Pluralis *navigamus*, deventum esset, & omnes cymbam gubernare vel turbare potius & concutere incepissent, (id enim methodus Practica postulabat) parum aberat, quin cuncti submersi fuissent miserimè. Sed *risum teneatis Amici!*

§. II.

Sequitur studium novitatis *Rhetoricum*. Hoc, uti par est, commendamus, salvis reliquorum artificum laudibus, in illo suæ Lusatiæ Demosthene, *Christiano Weisso*, qui, si alius, in elegantissimis suis de arte Oratoriâ libris ostendit luculenter, quantum ipsius ingenium in inveniendis iis, quæ eam reddunt faciliorem, valeat. Singula ipsius inventa prosequeretur prolixius, si id præsens pateret institutum, & necessitas flagitaret. Liceat tamen pace Viri Optimi unum specimen hîc oculis legentium exhibere. Oratoris Politici Parte I. Cap. 3. de exercitio Chriæ, antiquum illum, & in Scholis hæctenus tantum non pro sacrosancto habitum numerum partium Chriæ octonarium tribus modis eleganter emendat: (1.) enim non semper ponit fundamenti loco dictum quoddam ex antiquo aliquo Scriptore depromptum, sed quamcunque, quæ Oratori placuerit, ab ipso pronunciata sententiam, qualis v.g. est §. VII. *Nobilis exerceat artem digladiandi*. (2.) octo istas partes in vulgus notas, laudem scil. Autoris, sententiæ Paraphrasin, Rationem, Contrarium, Simile, Exemplum, Testimonium & Conclusionem, ad quatuor membra redigit, ad Protasim nempe, Ætiologiam, Amplificationem & Conclusionem. (3.) neque has quidem partes ad quamlibet Chriam necessarias esse docet, sed Oratoris arbitrio relinquit, quas præter Protasim & Ætiologiam unam vel plures (en! aliam novitatem, cum antiqui saltem unam admiserint,) velit adhibere. Vide l. c. & imprimis adde

Illu-

Illustrati Oratoris Cap. 3. de Chriâ, ubi plura nova, rara & cara. Quid in variatione & Amplificatione Periodorum, quid in Exercitio Syllogismorum, quid in usu Locorum Topicorum Oratorio, quid in aliis præstiterit novi, id notum est iis, qui cum ingenti utilitate laudata Scripta diligenter evolvunt. Et quid aliud Institutiones ipsius Oratoriae ad praxin hodierni Seculi accommodatae, quas superiore anno eruditi cupidè exceperunt, in rubro promittunt & in nigro exhibent, quàm nova & curiosa plurima. Sed vino vendibili non opus est suspensâ hederâ! Vide Acta Erudit. Lips. ad Mens. Februar. 1687. p. 78. Fortè huc non malè quadrabit, meminisse novæ istius à Raymundo Lullo (de cujus Scriptis Alstedius in Panaceâ Philosophicâ Sect. II. illud cogitandum esse monet: Aurum inter stercom,) excogitatae methodi, quâ teneræ etiam aetati ac imperitæ omninò multitudini modum de quâcunqve re ex tempore differendi monstrare satagit, novem literis ex Alphabeto, missâ primâ, usus, variasq; ipsis & planè diversas imponens significationes, quâqve ratione istæ inter se combinari, & ad propositam rem applicari possint, ostendens. Quod ejus inventum ab aliis laudatum, taxatum ab aliis velut in nuce nervosissimè exhibet Excell. L. Schmidius, Patronus noster & Præceptor venerandus, in Programmate Invitat. ad Orationem Auspicatoriam Professionis Eloquentiæ.

§. III.

Progredimur ad Studium novitatis *Poëticum*: id nobis præ reliquis probatum dant tria clarissima Poëtarum Teutonicorum (de Latinis enim nihil placet differere,) lumina, *Martinus* nempe *Opitius*, *Augustus Buchnerus*, & *Caspar Zieglerus*. Primus quidem in novâ suâ *Profodiâ Germanicâ*, antea *Germanis nunquam visâ*, unde ipsius merito amicus tale post mortem ei erexit Epitaphium:

*Quis jacet hic? Princeps Germani Carminis Autor,
Virgilium referens. Hac satis! Hospes abi.*

Vide *Opitii teutsche Poëmata* p. 743. Alter, dum genus *Dactylicum* duobus aliis, *Jambico* scil. & *Trochaico*, quæ *Opitius* habet, addidit, teste *Philippo Zefio* Sect. IV. *Scala Heliconis Teutonici* p. 83. & *Harsdörffero* im *Frauenzimmers Gespräch-Spiel* Parte II. pag. 204. Quamquam hanc rem in dubium vocat *Daniel Georgius Morhofius*

im Unterricht von der teutschen Sprache und Poesie / *Parte III. c. XI.*
ubi ita: Diese (nempe Dactylische) Art soll Herr Buchner im
Teutschen erfunden haben/ welches ihm viel auffbürden/ und hat ihm
Caldenbach *Libr. I. Lyricor. Oda XII.* ein Lob-Gedicht deßhalber zuge-
schrieben/ da er doch selbst der Ehre gerne entbehren wil/ etc. & postea
provocat ad Carmina Germanica à Goldastò edita, inter quæ ali-
quod ab Ulricò à Lichtenstein in hoc genere confectum reperiri af-
rit. Et esto, Buchnerum ejus primum inventorem non esse, id
tamen gloriæ ipsi tribuendum est, quod illud ex cineribus velut
erutum renovaverit, magisq; ac magis excoluerit & perpoliverit.
Conf. *Buchneri Kurzer Wegweiser zur teutschen Dicht-Kunst edit.*
Jen. 1663. Tertius, nempe *Zieglerus*, illud Carminis genus, quod no-
mine vel Hispanico vel Italico Madrigal appellatur, ex Italiâ in
Germaniam primus transportavit, id quod ipse non diffitetur in
peculiari Dissertatione Lipsiæ eâ de re Anno 1653. editâ. Conf. *Morbo-*
sum l. c. cap. XII. & *Kurandors teutschen Poeten Lib. III. c. V.* His
non immeritò accensemus modò laudatum *Weisum*, qui pri-
mus satis ingeniosè ostendit, quâ ratione Loci Topici possint fon-
tes inventionum Poëticarum uberrimi constitui, quâ dere vide
Cap. III. Præceptor. Poëticor. quæ inserta leguntur Tractatui, su-
pra §. I. jam citato. Neque nobis temperare possumus, quin
publicè hîc prædicemus studium laudabile, quod Editioni novi
operis procurandæ jam impendit Vir Cl. Dn. M. *Albertus Christia-*
Noth / Gymnasii Sax. Hallensis ConR. cujus Titulum format: *Voll-*
ständige teutsche Poesie / ubi multa nova, inprimis ad copiam In-
ventionum facientia, promittit, cui, ut labori desideratissimo
proximè extremam imponere manum feliciter possit, vires tum
ingenii tum corporis ex animo aprecamur.

§. IV.

Jam ad Studium novitatis *Logicum.* Hîc non pauca se no-
bis offerunt exempla, ex quibus unum alterumve attulisse satis
fit. *Petrus Ramus, Mathematicus Parisensis,* intempestivè novatu-
rit, dum Logicam cum Metaphysicâ ineptè confundit, id quod
Libri duo Dialectica, itemq; *Animadversiones in organon Aristotelis*
passim testantur. In distributione Partis Logicæ Generalis (de
Speciali jam non dicam,) nonnihil novi habet supra memoratus
Dn.

Dn. Weisus in *Doctrinâ suâ Logicâ Lipsiâ 1681. editâ*, dum ordinem doctrinæ, quod ipse fatetur in Præparatione §. VII, secutus, incipit à secundâ mentis operatione seu à Doctrinâ de Enunciatione, cui statim subjungit Tractatum de Syllogismo, cum omnes alii Autores, naturæ observato ordine, primam, quæ agit de terminis simplicibus, primo tradere loco, post ad secundam & tertiam progredi soleant. Quâ de re alibi. In *Quæstione de Prædicamentorum numero novitatem sectatur Manzius*, dum canum istum denarium vel ab ipso Pythagorâ, vel, ut aliis placet, ab Archyta Tarentino constitutum, non modò quoad ordinem mutat, anteponendo *Quantitati Qualitatem*, sed & duobus novis auget, uno sc. *Artificum & Artefactorum*, altero *Extravagantium*, quâ de re vide integrum *Tractatum de duodecim Prædicamentis Augustæ Vindelicorum Anno 1658. exscriptum*, cui omninò adde *Colleg. MSS. Logicum ad Tabb. Stirianas Excell. Dn. D. Alberti, Præceptoris nostri Optimi*, ubi multa jucunda de hoc auctario. Quod speciatim ad Caput de *Quantitate* attinet, ab antiquo dogmate recessit *Renatus des Cartes*, vel vulgò *Cartesius*, dum eam accidens esse substantiæ contradistinctum negavit, contra cum materiâ idem esse, & nonnisi formaliter ab ipsâ differre, hoc est, materiam dici *Quantitatem* tantum respectu extensionis, docuit *Princip. Parte II. §. VIII.* ubi ita: *Quantitas à Substantiâ extensâ in re non differt, sed tantum ex parte nostri conceptûs. Et paucis interjectis: in re fieri non potest, ut vel minimum quid ex istâ quantitate aut extensione tollatur, quin tantundem etiam de Substantiâ detrahatur, nec vice versâ, ut tantillum de Substantia detrahatur, quin tantundem de Quantitate ac extensione tollatur.* Hactenus ille: & benè quidem aptissimeq; ad nostrum palatum, dum hoc ipso dogmate (verba affero modò laudati *Dn. D. Alberti Disputat. de Cartesianismo & Coccejanismo Cap. I. §. XVIII.*) monstrum *Transsubstantiationis* confodit. *Quomodo enim tolleretur idem, materia nempe corporis & sanguinis Domini in S. Cœnâ, & remaneret idem, earundem nempe Quantitas.* In Capite de Syllogismo ingenium exercuit *Jacobus Honoldus, Logice quondam in Gymnasio Ulmano Professor*, qui antiquum modorum Syllogismi numerum 512. modis directis totidemq; indirectis auxit, imò, si, quem ibi ostendit,

dit, processus instituat, prodituros 9216. evicit. Vide *Considerationem ejus Syllogisticam Disp. XVI. Qv. 10.*

§. V.

Transimus ad Studium novitatis *Metaphysicum*. Circa ipsum hoc nomen observamus, non deesse, qui in ejus locum aliud, nempe vocabulum *Ὀντολογία* surrogare amant. Hos inter nominare placet *B. Calovium*, qui in *Ἐξηγητικῶν Μεταφυσικῆς divina Aph. II.* ita: *Scientia de Ente Metaphysica appellatur communiter à rerum ordine, Ὀντολογία rectius ab Objecto proprio. Et in Ἐξηγήσει: Pro isto certat antiquitas, pro hoc rei ipsius evidentia & claritas. Et post alia: Sed quicquid sit, si γνήσιον τῆς ὀνομασίας fundamentum respiciamus, ipsam rerum naturam, optimè dici poterit Ὀντολογία. Ita exprimitur Objectum Habitùs, idq; ad analogiam disciplinarum ferè omnium, quæ nomina habent ab Objecto petita, origine quidem Græca, at communi usu quoq; Latina. Considerat nostra Disciplina Ens, & omnia ea, quæ vel ad Ens referuntur, vel sub Ente continentur proximè & indeterminatè, ideoq; meritò ab Ente nomen accipit. Et cur ab eò potius denominaretur, quod ipsi extrinsecum, cum aliis commune, cujus ratione plura sortiri posset nomina, quando prostat nomen proprium, ipsum Objectum exprimens, & aliis Disciplinarum nominibus affine? Hæc Calovius: cui tamen non omnes pollicem prementes fatius esse credunt antiquum retinere nomen, idq; non unâ ratione probant, quod vide in *Exercit. Metaphys. Andreae Frommii Disput. II. Controv. VI. & alibi.* Sed litem hanc nostram non facimus. Longè graviolem novitatem molitus fuit in *Metaphysicis* supra dictus *Cartesius*, is, dum viveret, homo, qui ingenio, eruditione ac novarum in primis doctrinarum studio totius orbis literati oculos in se converteret, (utor verbis *Magnif. Dn. D. Alberti cit. Disp. Cap. I. §. 1.*) eumq; in duo quasi hemisphæria divisum partim faventem, partim adversarium experiretur, illud quidem propter incomparabilem in *Mathesi* præstitam operam, hoc autem propter alia nova in sanam cum *Philosophiam* tum *Theologiam* impingentia dogmata, quæ tamen singula heic examinare nostrarum nec est virium nec instituti. Id saltem h. l. observamus, eum elusis omnibus principiis primis assumere suum illud: *Semel in vitâ de omnibus dubitandum esse, in quibus vel minimam incertitudinis suspicionem reperiamus,*
Principp.*

Principp. Philos. Parte I. §. 1. it. primum cognitum: Ego cogito, ergo sum, Ibid. §. 7. & 9. Quam rectè verò, demonstrarunt jam feliciter Summi Viri, quos inter nunc quidem commendare libet cum reverentiâ iterum iterumque nominandum Dn. D. Alberti, in Diss. Sæpius laudatâ, & Pl. Rev. Dn. L. Seligmann. in Exercitio Anti-Cartésiano contra dubitationem Cartésii Rostoch. Anno 1683. publicè exhibito, nec non in Thesibus Anti-Cartésianis Miscellaneis, Anno 1684. editis. Sed ut ad nostros redeamus, observatu putamus non indignum, quod ordinem tractandi dividendiq; Metaphysicam satis ingeniosè innovaverit primus Job. Scharffius, Philosophus quondam & Theologus Witebergensis, dum illa, quæ à priscis Philosophis, quin & recentioribus, Jacobo scil. Martini, Christophoro Scheiblero, Kiliano Rudmufio, Francisco Burgersdicio, aliisque in hac Disciplinâ de DEO, Angelo & animâ rationali sub nomine Partis Specialis traduntur, in peculiarem quendam Disciplinam redegit, cui Titulum fecit Pnevumaticam seu Pnevmatologiam, ratione denominationis petita ab Objecto adæquato, quod Spiritus est: cujus laudabilis Studii specimina edidit circa Annum 1623. in publicis Disputationibus, quas postea Anno 1628. ad ordinem Systematis cujusdam revocavit, nactus confestim asseclas, non incelebris nominis Philosophos ac Theologos, Stephanum scil. Klotzium, Job. Zeisoldum, J. Geilfusium, Andream Prücknerum, Georgium Meierum &c. quorum postremus præ reliquis in eo totus est, ut hoc institutum à variis adversantium Objectionibus vindicet, quâ de re vide ejus Pnevumaticam Proæmii Sect. III. Probl. III.

§. VI.

Pergimus ad *Physicum* novitatis Studium. Hic, si usquam, illud vel manu pulpate licet: quot enim Physicæ unquam, hoc nostro præsertim Seculo, impenderunt operam, tot etiam, imò longè plures inventæ fuerunt novitates. Paucissimas tamen pro instituti ratione delibabimus, cum in ipsâ copiâ videamur facti inopes. Certè Job. Sperlingius, Witebergensis quondam Physicus, quoad Definitiones in primis & conceptualia antiqvam Aristotelis Physicam multis modis mutavit, quod ad oculum patebit conferenti hujus Institutiones, Exercitationes, & alia Scripta Physica cum libris Aristotelis Physicis: quanquam non defuerunt

runt ex hujus Patronis, qui eum contra laudatum Sperlingium defendere conati sunt, quos inter vel præcipuus est *Job. Zeisoldus*, Physicus antehac Jenensis in *Examine Physicæ Sperlingianæ*, Jene 1652. edito. Porro se hinc nobis iterum offert *Cartesius*, modò de Vorticibus, modò de Sensatione in solo cerebro existente, modò de identitate Sensationis & Cogitationis & cæteris planè nova docens, accuratè tamen refutatus à *Cl. Dn. M. Job. Gottlieb Hard* / in *Dissertationibus peculiaribus*. *Hieronymus Romarius* duos libros scripsit sub Titulo: *quod animalia bruta ratione utantur melius homine*, hoc ipso novaturiendi pruritu superans omnes alios cum præfatos tum novos Autores, rationem quidem, sed non excellentiorem humanam brutis largientes, quos citat & castigat *M. Henigka* in *Dissert. de ratione brutorum*, cui adde par *Disputationum Dn. L. Schmidii*, unam *de brutis hominum Doctoribus*; alteram *de Honore brutis non competente*, ubi multa huc spectantia. *Hieronymus Cardanus* Medicus Mediolanensis, plantis non vitam solum, sed sensus etiam attribuit *Libro V. Subtilitatum*, ob id reprehensus à *Scaligero Exercit. C. I. Fromondo in Christiana Philosophia de Anima Lib. I. c. 1.* & *M. Georgio Nicolao Langheinrich* / *de Sensu Plantarum*, cui adde *Gabrielem Arnoldum de Zoophytis*. *Job. Keplerus* ex terrâ ingens animal fecit, dum ipsi animam tribuit, *Lib. I. Epit. Astronom. Copernic. p. 125. seq.* cum reliqvistamen animæ mundi Patronis taxatus à *Dn. L. A. Rechenbergio* in *Dissert. de anima Mundi*. *Job. Amos Comenius* *Cap. XI. Synops. Phys. ad lumen divinum reformatæ* tres esse hominis partes, Corpus, Spiritum, & animam docuit. *Jo. Baptistavan Helmond Oper. Tract. X. §. 8.* ignem inter Elementa non assumit, nomenque adeò suum, quæ ipsius Phrasis est, Paganismo recusat. Sed de Physicâ novitate satis: plura & adhuc velut calentia qui desiderat, adire potest *Acta Eruditorum Lips.* quæ huc transcribere consultò nolumus.

§. VII.

Succedit Studium novitatis *Mathematicum*: id verò quo est frequentius & notius, eò paucioribus opus hinc erit exemplis. Primum exhibet *Nicol. Copernicus, Torinensis*, qui, factò à comuni sententiâ divortio, quietem cælo, terræ verò motum assignat in suis *Libris Revolutionum*. Quamquam non dissimulamus, esse, qui ipsum pri-

num inventorem non agnoscant, utpote quem alii Pythagoram, alii Aristarchum Samium credunt, de quo *Archimedes in libello de numero arena ad Gelonem Regem* scribit: *Apud eum (Aristarchum) supponitur, stellas, quæ non errant, & Solem immobilem manere, terram verò circa Solem ferri in Circuli circumferentiam, qui est in medio cursu situs.* Interim, quia Copernicus hanc Sententiã per aliquot Secula sepultam postliminiò resuscitavit, plures etiam, quàm antecessores alii, nactus asseclas, *Keplerum, Lansbergium, Galileum, Cartesium,* & hodiè tantùm non omnes, ipsum hìc si non inter inventores tamen renovatores meritò numeramus. Quoad nomina Asterismorum in cœlo, antiqva gentilia eliminanda in eorumque locum surroganda esse nova Biblica *Alstedius Libr. XVII. Uran. Part. I.* & *Julius Schillerus in Cœlo stellato Christiano,* svadent, quã methodò duodecim signis Zodiaci totidem Apostolorum nomina imponunt, astris Septentrionalibus nomina ex Novo, Meridionalibus ex Veteri Testamento, Planetis denique ex utroque petita, quæ vide in *Astrognoſia Egidii Strauchii* singulis asterismis adjecta, sed simul rejecta *Sect. I. Aph. CXXXVI. & CXXXVII. Conf. Guilielmum Schickardum in Astroscopio, & Cæsum in Cælo Astronomico-Poëtico,* qui iterum alias atq; alias appellationes comminiscuntur, vel suo exemplo confirmantes illud *Ausonii: Alius alio plura invenire potest, nemo omnia.* In *Cardano,* tanquam Christiano, (maledictorum enim quorundam Judæorum deliria hìc non moramur,) prorsus illegitimum novitatis studium deprehendimus ac reprehendimus, dum *Domini nostri Jesu Christi Thema* editit, (verba sunt *Josephi Scaligeri in Prolegom. ad Marci Manilii Astronomicon de Astrologiã veterum Scriptorum*) & omnia, quæ illi acciderunt, ex positu stellarum necessariò ipsi contigisse ratiocinatur in *Commentario in Ptol. Lib. II. de Astr. Jud. cap. IX. Textu LIV. Edit. Lugdunens. in 8. Anno 1555.* eapropter à *Josepho Scaligero cit. l.* (ubi cymbalum Genethliacorum appositè audit,) *Tobiã Wagnero in Præfat. ad Astrolog. Genethl. Dn. Stryckio in Diss. de Curiositate Cap. I. §. 5. Dn. L. Rechenbergio in Diss. de insanã in Theologiã Curiositate §. III. justissimo Zelo taxatus, & à Job. Andrea Schmidio, Professore Jenensi, unã cum asseclis explosus in Diss. Anno 1683. editã sub rubricã: Thema Christi Natalitium à nonnullis impiè & absurdè erectum.* Mittimus
C plura

plura : recentissimorum verò cupidos ad *Acta Eruditorum Lipsien-*
sa denuò remittimus.

§. VIII.

Ordo postulat, ut ad *Philosophiam Practicam* nos converta-
mus. Hic statim sub initium sese nobis offert *Jason de Nores*, *Pro-*
fessor Patavinus in *Tract. de Constitutione Partium Philosophiæ*, ubi
contra receptam opinionem duas tantum partes assumit, *Oeco-*
nomiam sub *Politica* comprehendens, cujus mentem non ube-
rius tantum explicat, sed & sequitur *B. Jacobus Thomasius* in *Phi-*
losoph. Pract. Tab. I. & Tab. XXXII. it. in *Annot. ad h. l.* Porro quod
ad *Ethicam* in specie attinet, eam laudatus *Thomasius*, non, uti vul-
gò fieri solet, in tres partes, primam de *S. B.* tanquam fine, alte-
ram de *Virtutibus*, tanquam mediis, & tertiam de *animâ humanâ*,
tanquam *Subjecto* agentes, dividit, sed in duas tantum, *Protheo-*
riam s. doctrinam de *Bono Hominis* in genere & potentiis *animæ*
humanæ, & in *Theoriam ipsam* seu *Tractationem de S. B. homi-*
nis. Vide *Lib. cit. Tab. II.* ubi tamen denuò ad *de Nores, Piccartum,*
& *Wilhelmannum* provocat. De affectibus humanis *Joh. Conradus*
Dürrius in *Disp. Phil. Mor. p. 67.* docet, eos non in solo appetitu sen-
sitivo, quod placitum in *Peripato* aliàs regnavit, (*vide Disp. Physic.*
de affectibus humanis in genere M. Joh. Enoch Blechschmidt Lips. 1679.
habitam,) sed simul in appetitu quoque rationali quærendos esse,
id quod tanquam certum supponit in *Comp. Theolog. Moral. Part. II.*
§. 42. Sic non desunt, qui antiquum virtutum *Aristotelicarum*
undenarium augent, addentes modò *Pietatem*, modò *Taciturni-*
tatem, modò *Gratitudinem*, modò alias. Vide *Rudrauf. Insti-*
tut. Moral. Part. III. c. 1. Tb. V. it. c. VII. Tb. IV. Itteri Synopsis Philos.
Moral. Lib. III. c. IX. & c. XII. & alios quæ plurimos.

§. IX.

Cum *Ethico* cohæret *Politicum* novitatis Studium, quod in
multis observare licet. *Hugo Grotius*, magnus ille *Juris Naturæ*
quondam *Doctor*, *Lib. II. de Jur. Bell. & Pac. c. V. §. 8.* contra anti-
quam doctrinam etiam inter bruta dari *Societatem nuptialem*
non obscure asserit: *Conjugium*, inquam, *naturaliter esse existima-*
mus talem cohabitationem maris cum femina, quæ feminam constituat
quasi sub oculis & custodia maris. Nam tale consortium: & in mutis
animan-

animantibus quibusdam videre est: in homine verò, qui animans est u-
 tens ratione, ad hoc accessit fides, quæ se foemina mari obstringit. Poly-
 gamiam non esse prohibitam J. N. sed Positivo divino primævo
 primus docuit B. Hülsemannus Breviar. Cap. XXI. Tb. 8. quem uo. Ca.
 πὸδ & sequitur Dn. D. Alberti Comp. J. Nat. Parte II. c. 10. §. 17. & in
 Continuatione Part. II. Theolog. Positivo-Polemica Kromayeri Loc. XXI.
 nec obscure Dn. Job. Adamus Osiander in Grotium de Jur. Bell. & Pac.
 fol. 744. it. Job. Conradus Dürrius Theol. Moral. Parte speciali Sect. III.
 c. I. §. XI. Licentiam divortiorum abrogatam in Respubl. Chri-
 stianis licite iterum introduci posse statuit Job. Bodinus de Republ.
 Lib. III. c. III. Jus patrium in liberos recentissime, sed & falsissi-
 me Thomas Hobbes, Vir perditè ingeniosus (ita eum salutat B. Thoma-
 sius Disp. de Patriâ potestate §. 25.) de Cive cap. IX. §. 2. derivat à pote-
 state filium occidendi. Non clarè quidem hoc dicit (verba affero
 laudati Thomasi Disp. cit. §. 50.) quæ mica pudoris in eo adhuc fuit, sed
 Sapientis satis est dictum in eo, quod l. c. ait, J. N. Victorem esse victi Domi-
 num, (idenim ad hostes utique bello victos respicit, quorum licita est ca-
 des Victoribus) Jure igitur Naturæ dominium infantis ad eum primum
 pertinere, qui primus in potestate ipsum habuerit, h. e. ad matrem. Quis
 non abominetur hanc scribendi immanitatem non in Christiano dicam,
 sed in homine? Hactenus Thomasius. Parentibus jus vitæ & necis
 in nostris Rebuspubl. restituendum esse, docet citatus modò Bo-
 dinus de Republ. Lib. I. c. 4. Idem Autor Quæstionem de numero
 personarum ad Familiam, & familiarum ad Civitatem necessaria-
 rum tractans, quinque minimùm personas ad familiam, tres fa-
 milias ad Civitatem constituendam requiri pronunciat de Republ.
 Lib. I. c. II. Invento tam insipido, tam omnis conditura impatiente, ut
 certum esse debeat, nec Autori quidem ex aliâ re, quàm familiari magnis
 ingeniis τῆς φιλοκαυρίας ἢ φιλαυτίας vitio placere illud potuisse, ceu
 rectissime judicat iterum iterumque cum reverentiâ nominandus
 B. Thomasius in Exercit. Anti-Bodin. de hac Quæstione, Anno 1663. pro-
 positâ. Plura studio brevitatis mittimus.

§. X.

Documenta novitatis, quæ in sublimiorum Facultatum studiis
 occurrunt, quod ferè prætereamus nemo mirabitur, cum Sphæ-
 ram præsentis Dissertationis, quæ limitibus includitur Philoso-
 phicis,

phicis, transcendant. Consuli interim de *Theologico* novitatis studio cum fructu poterit *Dn. L. Adamus Nechenberg* in *Dissert. solenni*, quam Anno 1668. sub Praesidio B. Hieronymi Kromayeri publice habuit de *insanâ in Theologiâ Curiositate*, ubi docet prolixè, quomodo in Theologiâ Exegeticâ, Didactico-Polemicâ & Morali (secundum has enim Theologiæ vel partes vel species totum opusculum dispescere Auctori placuit) ingenia novaturientia subinde illicitam suam curiositatem prodiderint. In *Joh. Coccejo* etiam Bremensi, primùm Gymnasii Patrii Collegâ, post Franekeræ Sanctæ Lingvæ & Theologiæ, tandem hujus etiam Lugduni Bavorum Professore Publico, Viro doctissimo, sicut ἀγχινοταυ summam, quâ in abditissima facile penetrare valuit, suspicit & veneratur *Magnif. noster Alberti*, in *Dissert. de Cartesian. & Coccejanismo* C. I. §. 37: ita vicissim in illo taxat, quod eâ non tam uti ad veritatis investigationem & defensionem, quam ad multorum novorum dogmatum confictionem frui maluerit, quæ c.l. recitantur, & nervosè, uti omnia solet laudatus Theologus, refutantur. In *Petro Jurieu*, Theologo Gallo, amorem novitatis Theologicæ collegeris ex *Libro, Roterodami Anno 1686. edito*, cujus Titulus Gallicè conceptus ita Latine habet: *Judicium de methodo & rigidâ & laxiori in explicandâ gratiâ & Providentiâ DEI ad inveniendum medium reconciliationis inter Protestantes Augustanæ Confessionis; qui in Actis Eruditorum ad mensem Martium Anni 1687. pag. 148. seq. recensetur.* Sed manum de tabulâ!

§. XI.

Ordo jam posceret, ut de Studio Novitatis *Juridico* quicquam afferretur. Et certè non suppeteret nihil, e.g. de peculiari & novâ quorundam Methodo tradendi doctrinam Juris, quæ ab antiqvâ illâ secundum Institutionum & Pandectarum seriem informandi ratione recedit utiqve &c. Verùm ne in legem Talarum, quæ prohibebat alienum arvom ingredi, videamur impingere, nolumus ἀλλοτριοςπισκοπειν, sed ea Legum Doctoribus ipsis ex professo discutienda relinqvimus. Nobis sufficit, vel digito saltem indice ostendisse, nec in hoc studiorum genere deesse, unde Catalogus exemplorum texti potuisset, si id ipsum ratio loci aut instituti ferret.

§. XII.

Sequitur tandem Studium Novitatis *Medicum*, de quo itidem brevissimè. Hominem ex ovo nasci (quod nec à Physicâ contemplatione alienum) primus est, qui invenit, *Theodorus Kercringius*, Medicus Amstelodamensis celeberrimus, id quod docet in *Ichnographiâ*, sive de conformatione foetus ex ovo, *Anthropogeniâ* superadditâ. Unde ejus felicitatem, solertiam, & nunquam satis in Studio Anatomico laudandam industriam miratur & publicè deprecatur *Excell. L. Christ. Fried. Garmannus*, *Physicus Chemnicensis & Academicus Curiosus* in *Dissertatione de Ovo humano Chemnitii Anno 1672. editâ*. Sic inter Anglos primus *D. Wren*, Mathematicum in Academia Oxoniensi P.P. circa Annum 1663. Chirurgiam infusoriam invenit, quam laudem extero non invidet Germanus *B. D. Michaël Ettmüller*, in *Dissertatione Medicâ hâc de materiâ Anno 1668. propositâ*. Hujus Angli dum mentionem facimus, non possumus non simul meminisse quorundam Collegiorum Curiosorum, à quibus totâ die novitates imprimis Medicæ orbi literato exhibentur. Promovit laudabile hoc studium *Carolus II. Magnæ Britannia Rex*, constituendo Societatem Regiam, à scopò suo Collegium Experimentale Anglicanum vocatam, cui præter Fratrem, eo tempore Ducem Eboracensem, hodiè Regem, plurimosq; Regni Proceres ipse associare se voluit. Videantur *Sacri Romani Imperii Academici naturæ Curiosus in Historiâ ortûs & progressûs suæ Academiæ, præmissâ Miscellan. Curios. Anno I. Promoverunt Studium Medicum Magnæ Hetruriæ Duces*, quorum auctoritate ac favore Collegium Experimentale Florentinum, Academia del Cimento dictum, florescit. Vid. *Historia jam allegata p. II. Conf. Sachsus Gammarolog. Lib. I. cap. III. §. 20.* Promovit hoc Romæ Princeps *S. Angeli, Federicus Cæsius*, utpote cui Academia illa Lincea, cujus membræ Humoristarum hodiè dicuntur nomine, suam debet originem, de quâ vide *Georgii Segeri Orat. de Curiositate Physicâ, & alios ibi allegatos.* Promovit hoc Augustissimus noster *Leopoldus*, *S. Romani Imperii Academia Naturæ Curiosorum* non solum approbando, sed & eidem naturæ quædam arcana ex *Thesaurò Cæsareo* communicando, quâ de re vide *Histor. hujus Academiæ suprà allegatam pag. penult. & ult.* Atq; hæc ex *Magnifici Strykii Dissut. de Curiositate* excerpere libuit. *Conf. Johann. Reiskii, Scholæ Gvelferbytanæ Rectoris, Dissertat.*

de Pinacothecis, Cimeliothecis & Societatibus Doctorum in Europâ
præcipuis.

§. XIII.

Haëtenus de eximio novitatis Studio : jam ad *Vulgare*, quod
tamen vel eo nomine, quia vulgare est, prolixo stylo vix dignum
censemus. Exempli loco, quod omnium instar esse potest, ipsa
Sacrosancta Scriptura Act. XVII. nobis in proscenium producit
Athenienses, & qui apud ipsos commorabantur, advenas hospi-
tes, qui erant (stylo Spiritûs S. emphatico) εἰς ἃδὲν ἕτερον εὐκα-
ρῶντες ἢ λέγειν τι ἢ καὶ ἀκούειν καινότερον, h. e. uti Bezareddi, nul-
li alii rei vacabant, nisi ad dicendum aut audiendum aliquid no-
vi. Eandem indolem nobis quotidiè ob oculos sistit Experien-
tia multorum Magistra in plebe, quæ, dicto Phocylidis, πολύτρο-
πὸν est, & semper novis rebus videndis audiendisqve inhiat, tan-
to quidem cum ardore, ut, si non ab aliis ei offerantur nova, ipsa
fingat, comminiscatur, spargat talia, quæ plebejis nescio quam
jucunditatem pariunt, prudentioribus verò bilem sæpè & stoma-
chum, interdum quoque hepar movent. Sed Soli lucem adfun-
dimus ! Transimus potiùs ad

CAPUT III.

DE CAUSIS CURIOSI NOVITATIS STUDII.

§. I.

Harum dum aggredior scrutinium, ipse fortè aliis Curiosita-
tis videor laborare contagio : sed tamen, quia id semel pro-
missum est, tentabo, quò possim cogitando pertingere, libentissi-
mè alium appellaturus *felicem*, qui, uti aliarum rerum, ita & hujus
potest causas omnes cognoscere.

§. II.

Ante omnia verò repeto ex Cap. I. §. VII. VIII. & IX. hoc Novita-
tis Studium in se suâqve naturâ esse μέσον & indifferens, propter
accedentes verò Circumstantias morales licitum fieri vel illicitum,
utrumque verò esse vel eximium vel vulgare.

§. III.

§. III.

Quatenus est *indifferens*, ejus causam ab ipsâ naturâ humanâ ejusq̃ statu primo derivamus. Etenim in Philosophiâ Christianâ certum Præsuppositum est, hominem à DEO, Creatore benignissimo, instructum fuisse quoad intellectum luce Sapientix & Scientix clarâ: hæc autem, quanquam per lapsum Protoplastorum depravata est atq̃ve deperdita, remansere tamen igniculi quoad ea in primis, quæ Sphæram spiritualium non ingrediuntur, qui subinde sub cineribus gliscunt, & ad eorum, quæ aliàs per naturæ perfectionem scire poteramus, cognitionem appetendam, quantum in ipsis est, nos stimulant. Atque hinc ille naturalis appetitus sciendi nova, quem ipsi etiam Gentiles sapientiores, etsi non sub hoc formali, agnoverunt. Ita *Plinius Lib. V. Ep. 8.* Sunt, inquit, *homines naturâ curiosi.* Graviter admodum, uti omnia, scribit *Seneca, Libr. VII. Quæst. natural. Cap. I.* Nemo usque eò tardus & hebes & demissus in terram est, ut ad divina non erigatur, ac totâ mente consurgat, utique ubi novum aliquod è cælo miraculum fulsit. &c. Et post alia pergit: adeò naturale est, magis nova quam magna mirari. *Claudius Mamertus de Statu animæ Libr. I. c. 1.* Mortalium generi, inquit, mos est, novi operis agnitione pellici. *Cicero Lib. I. de Officiis:* Omnes trahimur & ducimur ad cognitionis & scientiæ cupiditatem. Obfignamus hoc acuto effato Christiani, *Job. Henrici Alstedii*, quod legitur in *Tract. de Harmoniâ Philosophiæ Aristotelicæ, Lullianæ, & Rameæ:* Homini innatum est insatiabile sciendi desiderium: id facit hominem primò mirari res pulchras & subtiles, deinde easdem rimari.

§. IV.

Aliter verò pronuntiandum est, si sermo sit vel de licito vel de illicito novitatis Studio. Et quidem quod ad *licitum* attinet, inter ejus causas vel primo loco numerandus est *amor veritatis*: hanc in puteo demersam latere cum Democrito agnoscunt, quibus de meliore luto Titan pectus finxit, eamq̃ve ab antiquis exinde vel per incuriam vel per impotentiam non protractam, vel planè etiam falsitatibus corruptam observant, atque adeò, quo in veritatem candido propendent affectu, id agunt diligenter, ut antiquis ignota manifestent, vel etiam pristinas opiniones à scoriis

riis purgent, vel planè, prout res postulat, sepeliant, in earumqve
 locum substituant novas sollicitè excogitatas elaboratasqve. Huc
 accedit *Studium Boni Publici*, cujus promovendi debitum in se
 sentiunt optimi quique: id verò inter alia eo ipso persolvi posse
 prorsus credunt, si, quæ ipsis promittit felicitas ingenii, non sup-
 primant & extinguant, sed istam suâ solertiâ adjuvent, modera-
 tè inquirendo in res abditas vel saltim aliis obscuras, donec eruant
 talia, quæ in publicam lucem exposita alios vel doctiores vel me-
 liores reddere, vel alio quocunqve modo utilitatem aliquam ipsis
 conciliare possint. *Veneror inventa Sipientiæ, inquit Seneca Ep. 64.*
inventoresq;: adire tanquam multorum hereditatem juvat: mihi ista
acquisita, mihi laborata sunt. Sed agamus bonum patrem familie: fa-
ciamus ampliora quæ accepimus. Major ista hereditas à me ad posteros
transeat. Multum adhuc restat operis multumq; restabit, nec ulli nato
post mille secula præcludetur occasio aliquid adhuc adjiciendi. Stimu-
lum hunc magis atqve magis acuit Magnatum favor, quem subin-
de solent cum munificentia conjunctum experiri curiosi novita-
tum indagatores, prout Excell. Job. Daniel Major, Medicus Kilo-
nienfis Celeberrimus, in genii errantis seu Dissertationis de ingenio-
rum inscientis abusu Dedicacione ad Illustriss. Comitem, Dominum Frie-
dericum, Comitem ab Alefeld &c. Catalogum quendam præcipuorum
nostri ævi Mæcenatum texit, quos inter Italia ob Principes Federi-
cum Casium, Gonzagas, Mediceos; Gallia ob Peireskium ac Moncon-
nysium; Angliæ ob Verulamium, Wottonium, Digbam, Boyleum; Bel-
gio ob Principem Gvilielmum Nassovium & Johannem de Witt; inque
Germaniâ tandem Dresdæ ob Perillustres Frisos; Moguntia aut Fran-
cofurto ob Boineburgum; & Utratslavia ob Christianum Hofmannum,
gratulatus est.

§. V.

Illicitum Novitatis Studium sicut cum licito adversâ prorsus
 concurrat fronte, ita illud ex diversis imò adversis planè causis o-
 riginem ducere in propatulo est. Præcipua ac velut $\pi\epsilon\omega\tau\omicron\nu$
ἡδὲ est prima illa Parentum primorum Curiositas, qui non con-
 tenti eâ, quâ Conditor ipsos dignatus fuerat, Sipientiâ, altiùs ad-
 spirabant, & loco similitudinis identitatem fermè divinam affe-
 ctabant, sed eheu! infeliciter. Non enim ipsi tantum perdidere-
 runt

runt κειμήλιον illud irreparabile, sed & in miseros filios unà cum ignorantia venenum pestilentissimum pravæ Curiositatis transfuderunt, quod nostræ naturæ continuo adhærens ad sublimius sapiendum, quàm debemus & possumus, nos instigat, sicq; omnes modestiæ ac veritatis etiam limites transilire facit. Atque hinc corrupto fonte, non nisi corrupti inde fluere possunt rivuli. Est inter eos φιλαυτία *perversa*: hæc facit, ut, qui ingenio fortè se prævalere aliis intelligunt, nimium quantum sibi metipsis placeant, alios infra se superciliosè contemnant, seque solos Sapientiã plus quàm transmarinã ad abundantiam usque præditos somnient. Hinc fit, ut, repudiatis antiquorum Sapiantum inventis non nisi de novis protrudendis magis quàm proferendis diu cogitent ac noctu. Ast ubi meliora nequeunt antiquis, ad absurda prolabantur, quæ fingunt, pingunt, & quâ modò cunque ratione possunt, colorem ipsis allinunt. Atque id est, de quò gravissimè conqueritur cordatissimus *Alstedius Tract. de Harmon. Philos. Aristotel. Lullianæ & Ramæ*: *Sunt, inquit, inter Philosophos, qui dum nullius ingenio sese familiariter applicant, sub pretextu libertatis Philosophicæ omnem auctoritatem susq; deq; habent. Hoc non est liberè, sed arroganter philosophari, & dona DEI aliis collata non agnoscere, sed contemnere. Imò verò, si cum Poëta loqui licet, quemadmodum*

*Stulta hæc invidia est, cui cuncta recentia sordent;
ita contra:*

Invida Stultitia est, cui nova sola placent.

Certè qui ausu majore omnia integra sibi duxerunt, & ingenii impetu usi priora prosternendo & destruendo aditum sibi ac placitis suis fecerunt, eorum tumultu non magnoperè profectum est, ceu verè sentit Verulamius Prefat. N. Organi fol. 274. citatus ab Excell. Dn. L. Seligmann / in Thesibus Anti-Cartes. Miscell. Verùm his omnibus meritò in aurem dicendum est illud saluberrimum Cartesii monitum, quancquam in Praxi ab ipso neglectum, quod habet sub initium Methodi p. 1. Ingenio pollere non sufficit, sed eodem rectè uti, palmarium est.

§. V.

*Alios κακοζήλια seu emulatio stolidi in stolidam novaturien-
di intemperiem conjicit. Vident enim subinde inepti, ingenia
D magna*

magna & ad summa quæq̄ nata suis inventis præter votum sæpè elegantem acquirere famam, Gratulationibus, Encomiis, omnique alio honorum genere excipi. Hinc invidiæ œstro perciti itidem nova moliuntur, paria cum illis facturi, vel, quæ ipsorum sæpè est temeritas, multis parasangis post se eos relicturi. Cui tamen oneri levando ubi non sufficiunt ipsorum humeri, vix factò initio succumbunt, interim, quod primo partu difficulter enixi sunt, instar foetus immaturi in publicam lucem protrudunt, parum solliciti, quæ ipsum maneant fata, sed optimè contenti, modò novæ cujusdam & antea nunquam visæ aut auditæ prolis Parentes ab omnibus, vel saltem imprudentioribus, vel minimum adulatoribus, salutentur.

§. VI.

Atque hæc est, quam quarto loco numeramus, *Κενοδοξία* seu gloria ambitio. *Fama captationem*, (utor verbis *Dn. L. Ad. Reichenbergii in Disp. de insanâ in Theol. Curiosit.*) *sublimisq̄ ingenii ostentationem à curiosis potissimum intendi tot exempla nos docent. Spirituali superbiâ Curiosi plerumque turgent, eminere & singulares esse carnali & inani rerum Studio affectant. Sectantur sæpius vilissima, modò nova & rara sint. Scopus horum est*

Αἰὲν ἀπειθεῖν καὶ ὑπέροχον ἔμμεναι ἄλλων.

§. VII.

Tandem *πλεονεξία* seu turpem lucri cupidinem multos sæpè instigare, ut de novitatibus in proscenium ducendis cogitent, tot sumus persuasi. Profectò, si illa vis est in *auri sacrâ fame*, ut, eloquio Vatis, *possit mortalia pectora cogere*, certè id quoque ipsi tribuendum venit, quod rerum novarum moliendarum necessitatem hominibus possit imponere. Vident lucro dediti, eorum, quæ jam trita sunt, valorem esse exiguum, quæ verò novitatis saltem schemate se commendant, à plurimis æstimari, caroq̄ pretio ac multis sumtibus comparari: hinc aucter omnia vetera contemnunt, tanquam imperfecta proclamant, & inutilia & futilia rejiciunt, sua verò, uti existimant, ingeniosè inventa, commendant, multumq̄ utilitatis ac jucunditatis inde promanaturæ amassis promittunt. His ubi applausum ac pretium avidè dari experiuntur ab iis, qui cæco abrepti impetu citiùs amant quàm intel-

li-

ligunt, de novis vicissim proferendis suscipiunt curas, & sic deinceps, suo exemplo vel maximè confirmantes illud Philosophi:
ένος απόπειρα δοθέντι, τὰλλα συμβαίνει.

§. VIII.

Possimus huc quoque referre *otium*, quò multi diffuunt, nihilquè adeò agendo malè ac ineptè agere discunt, imò longè plures causas alias, cum infinitis propè modis à recto aberrari posse doceant Moristarum filii, confirmet ipsa experientia. Verùm temporis chartæque, in quam incidimus, angustia eas non capit. Reservandæ igitur alii tempori erunt, committendæque uni ex Commilitonibus, qui *ὄχι ἀέκνη Ἰσθίου* fortè tentabit, quid in amplificandâ latiùsq; persequendâ hâc materiâ vires ingenii meis firmiores valeant. Mihi certè sufficit, si primas tantùm hîc dixisse lines dici possim.

§. IX.

Unum est residuum, ut de vulgari novitatis Studio vel duobus differamus. Ejus præcipuam causam, inclusâ unâ alterâve ex superiùs expositis, quarimus in istâ *voluptate*, quam vulgus solet multis aliis rebus antepone, quamquæ ex novarum rerum cognitione sibi indubitanter promittit. Nam sicut alias, juxta diverbium Græcorum, *ποικιλία τερπνόν*, ita vel maximè plebi. Jucundum enim ipsi est, quæ modò publicè, modò privatim geruntur, nôsse, de iis in triviis familiariter colloqui, judicium suum, etsi sæpiùs ineptum, pronunciare, quædam subinde admirari, alia calumniis proscindere. &c. Verbo: ex tripode prolatum est, quod *Mantuanus* canit:

Cura Viris levibus rerum solet esse novarum.

§. X.

Quem diutiùs speculationi hujus rei inhærere juvat, in subsidium aliquantisper vocare potest Autores de ingenio humano commentantes, v.g. *Barclajum in Icone animorum; Neuhusum in Teatro ingenii humani; Claramontium Tract. de conjectandis cujusq; moribus & latitantibus animi affectibus; Andream Maximilianum Fregro in Icone ingeniorum.* His addimeretur *Johann. Philippi Slevogti Discursus de genio Studiorum nostri temporis, & supra jam laudata Dissertatio elegantissima Job. Danielis Majoris de Abusu ingeniorum in*
Scien-

*Scientiis, cum annexo Tractatu Benediæi Menzini, Florentini, de li-
teratorum hominum invidia.*

§. XI.

Nos hîc subsistimus, & inconstantia, quâ humanum laborat
ingenium, iterum iterumq; memores, Discursum nostrum illô
Orveni, quod legitur *Libro uno Epigr. 173.* obfignamus:

Multa renascentur, quæ jam cecidère, cadentq;

Dogmata, quæ summo nunc in honore vigent.

Quæ nova sunt, hodieq; placent, non usq; placebunt:

Cur ita? quæ nova sunt, non nova semper erunt.

S. D. G.

Ad

Eximiè doctum Disputationis hujusce

AUCTOREM,

Affinem Amicumq;ve suum percharum.

Nôsse modò antiqvæ Sophiæ mysteria, non &
Inventa ætatis multaq;ve & alta *nova*,

Non meret æterno dignandum Carmine nomen,

Tot *nova* cum docto, hoc tempore, in Orbe sient.

Antiqvis igitur, PIPPINGI, *mustea* jungis;

Et benè! Sic Patriæ nobile nomen eris.

Properab. in Paulina

L. JOACHIMUS FELLERUS, P.P.

& Acad. Bibliothecarius.

Ad Politissimum

DN. PIPPINGIUM,


*Fautorem & Amicum meum honoratissimum dilectis-
simumq;.*

EN opus hocce Tuum, Charissime, lima polivit
Nil mea, sed solus Tu *nova* nostra refers.

Gratulor: *antiquis nova* si conamina porrò

Junxeris, ipse *novus* Panfophus esse potes!

PRÆSES.



Leipzig, Diss., 1687 (T-Z)



ULB Halle
006 305 857

3



710A





A. Ω.
De
**CURIOSO
NOVITATIS
STUDIO,**

Approbante Philosophorum Ordine,

in,

ACADEMIA PATRIA,

SUB PRÆSIDIO

M. JOACHIMI CHRISTIANI

Westphal/

Neo-Ruppinensis Marchici,

cum

*Curiosis Veritatis scrutatoribus
placide differet*

AUTOR

HENRICUS Pipping/ Lipsiensis,
Phil. & B. A. Baccal.

Ad d. XV. Junii, Anni M. DC. LXXXVII.

In Collegio Principum Majori.


LIPSIÆ,
Typis CHRISTIANI GÖZL.



P 549

1687, 24

11



B.I.G.

Farbkarte #13